S. D. P. Clarissime Vir ac Frater in Christo dilectissime. De Ao 1567. 102)

Literas tuas à nostro Zuleytio accepi, et quod monendo petis, hac ipsa hora apud Illustrissimum Electorem nostrum bonâ fide ac fideli diligentia, absit invidia dicto, expetivi. Nam etsi ante aliquot menses causam Clarissimorum Virorum D. Zanchij et S. Victorini qui brevi ad nos cum sua familia commigrabit, occasionem nactus splendidam, summa diligentia egerim, tamen iniquitate temporis |: quae in horas nova eaque gravissima facit nostro Josiae haud impigro nec otioso negotia :| factum est, ut hanc meam petitionem, seu mavis admonitionem non ea, qua solet diligenti examine ponderavit. Jam verò novam ac opportunam nanciscens opportunitatem saulica, id est, gravi impudentia ac improbitate causam viri probi agere occepi. Et propitio Christo factum est, ut remotis iis, quorum praesentia fortassis incommoda nobis fuisset, solus cum solo hoc negotium feliciter peregerim. Et quia abitus ad Amicos nostros longiorem narrationem prohibet, meas vices docta Erasti nostri manus supplebit. Unum est, quod per certum hunc et praeclarum nuntium te celare nolui, me scilicet id, quod oravi, exorasse. Injunxit enim piissimus Princeps, ut Clar: Vir D. J. Zanchius per te vocetur, ut quam citissimè fieri potest, Celsitudinem Josiae nostri conveniat, ac ejus clementissimam voluntatem ipse coram audiat. Fac tuo imperio, dass er uff das furderlichste in Meinds gnädigsten Herren Kosten sich hieher gen Heidelberg verfüge, da Ihre Churfürstl. Gnaden selbst mit Ihm der Condition halber handeln werden. Unter dessen will ich allertage, wie auch zum theil beschehen, so viel mir mueglich gewesen, bereiten. Wie er fleissig alss ich, so kommen wir desto balder zusammen. Sed de his Erastus copiosius nobiscum acturus est. |: Sensus est, ut cum primum potest, sumtibus Domini mei Illustrissimi huc veniat, ut ejus Celsitudo de conditione cum eo possit coram agere. Interim ut feci hactenus, ego quantum possum viam ei sternam. Adhibeto et tu diligentiam :| Aliàs dabitur occasio commercandi de rebus variis. Ich wolt dass ihr einer stunde bey Euch seyn solt, da wolt ich Euch sagen, das Ihr jetzt nicht glaubt. Gott verleih allein allen Menschen Hertzen. Sed audire videor copiam. Hisce vale quam rectissimè Vir humanissime ac frater amantissime, et Vuillingum tuum, quod facis, ama. Salutabis, nisi grave sit omnes Professores et Concionatores, praesertim Patrem Venerandum D. Bullingerum et D. Berenhardum à Chom. quibus omnibus Dei filius suâ benedictione sit praesens. Datae ultima Julij Anno Christi 1567. Heidelbergae.

T. T. Joannes Vuillingus.

Inscriptio.
Clarissimo et humanissimo Viro D. Ludovico Lavatero Ecclesiastae Tigurino fidelissimo Domino et Amico suo reverenter colendo Zürich.